



Nf. 23.





ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR,

FRIDERICVS HOFF-
MANNVS,

COMES PALATINVS CAESAREVS, CONSILIARIVS
REGIVS, ET PROFESSOR ORDINIS MEDI-
CORVM SENIOR,

VNA CVM

CANCELLARIO AC PROFESSORIBVS
RELIQVIS,

CIVIBVS ACADEMICIS

DIGNAM FESTI

RESVRRECTIONIS CHRISTI
CELEBRATIONEM,

ET IN EA

U

PIAM

PSALMI SEXTI DECIMI
MEDITATIONEM
HVMANISSIME COMMENDAT.

HALAE MAGDEB.

TYPIS IOH. CHRISTIANI HENDELII ACAD. TYPOGR.



ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR

FRIDERICVS HOFF-
MANNVS

COMES PALATINVS CAESAREVS, CONSILIARIVS
REGIVS, ET PROFESSOR ORDINIS MEDICI
CVM SENIO

CANCELLARIO AC PROFESSORIBVS
RECTOR

CIVIBVS ACADEMICIS
DIGNA FESTA

RESURRECTIONIS CHRISTI
CELEBRATIONEM

ET IN EA

PIAM


PSALMI SEXTI DECIMI

MEDITATIONEM
HUMANISSIME COMENDAT

HAARE MÄGDER

THEOPH. CHRISTIANI HENDELII ACAD. THEOB.





Illuxerunt, Cives, laetissimi illi dies, memoriae
 Christi, ex mortuis surgentis, sacri; ad quos pie concelebrandos,
 omni animi contentione ut Vos hortemur, nostri quam ma-
 xime esse officii ducimus. Ecquid vero magis huic fini consequen-
 do aptum est, & quid dignius, quod hisce diebus & ipsi meditemur,
 & Vestrae meditationi etiam atque etiam commendemus, quam
 hoc ipsum, quod, teste Apostolo, a) *Christus suscitatus sit tertio*
die, idque **SECUNDVM SCRIPTVRAS?** Habebit enim in eo
 fides nostra fulcrum immotum, si clarius luce meridiana perspe-
 xerimus, id, quod Apostoli *de DEO testificati sunt, eum suscitasse*
Christum, b) DEum ipsum, suo tempore se facturum, dudum
 praedixisse, & tot vatum praegressa testimonia ipso iam euentu lu-
 culenter esse confirmata. Vnde & ipse ex mortuis suscitatus Chri-
 stus hoc quam maxime inculcabat discipulis Emaunte[m] euntibus,
 quibus, eum vere surrexisse, creditu admodum difficile erat, di-
 cens: *O amentes & tardi corde ad credendum omnibus, quae loquuti*
sunt Prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, & introire
in gloriam suam? c) Et vtrumque quidem, praedicientibus claris-
 sime Prophetis? Quare etiam *exorsus a Mose & omnibus Prophe-*
tis, interpretabatur ipsis in omnibus scripturis, quae de se scripta e-
rant. d) Et postea, cum eodem die XI. Apostolis se viuum exhibu-
 issent, multisque modis fidem iis facere laborasset, quod vere ex
 mortuis surrexerit, tandem ipsos ad testimonium scripturarum
 remittit, cui citra haesitationem credere fas sit, *dixitque: Hi sunt*
sermones, quos locutus sum vobis, quam adhuc essem vobiscum, oportere
impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, &
Psalms de me. e) Et tunc non modo aperuit eorum mentem, ut
 intelligerent scripturas, sed & rursus *dixit eis: ita scriptum est, &*
ita testantibus scripturis oportuit Christum pati, & resurgere ex
mortuis, tertio die. f) Magni itaque momenti res, & plurimum

) (2 in

a) 1 Cor. XV, 4. b) *ibid.* *comm.* 15. c) Luc. XXIV, 25, 26. d) *comm.* 27. e)
comm. 44. f) *comm.* 45, 46.

in eo fitum est, vt & nos agnoscamus, *suscitatum esse Christum secundum scripturas.*

Et sane sacrae litterae tam copiosae sunt in pingenda quasi, vt morte, ita etiam resurrectione Christi, vt, quum vniuersae Christum loquantur, haec duo capita, in quibus cardo quasi vtriusque status illius vertitur, singulis fere paginis verbis & factis, testimoniis & exemplis variique generis inculcent. a) Et si a Mose & prophetis omnibus discesseris, solus Psalmorum liber tot insignia de resurrectione Christi vaticinia exhibet, vt vel allegandis iis haec & chartae & temporis angustia, intra quam coarctamur, non sufficiat. Modo enim ipse Christus, sub grauissimis afflictionibus constitutus, introducit orans, patrique supplicans, vt ipsum morti ereptum ad vitam reducat; b) modo se facta sibi promissione laeti, quam sua aduersus Satanae regnum agenda causa habitura esset, euenus, solatur; c) modo patri pro praestito auxilio gratias laetus agit, hostias, votorum exsolutionem, instituendamque nominis paterni inter gentes multas celebrationem promittit; d) modo dirissima mala sua, ipsamque insequentem resurrectionem, cum gloriosa victoria, qua devictis hostibus triumphum egerit, vindictam, quam de reliquis hostibus sumturus sit, & fructus meritorum suorum, quibus fide se complectentes homines beaturus sit, longo ordine pertexit. e) Aliis in locis David ipse, personam ecclesiae gerens, vel DEum patrem, vt Messiam suscitet ex mortuis, orat, vel quod illud fecerit, eidem gratias agit, vel regiam ipsius maiestatem, profecturamque ab hac vltionem grauissimam in aduersarios ipsius praedicat. f) Pluribus etiam in Psalmis commemorata ipsa regii vatis, ex tot ac tantis malis erepti, liberatio, Christi resurrectionem ita repraesentat, vt verba, quibus ille siue orans, siue DEum collaudans vtitur, citra vllam vim illis inferendam, Christo tribui possint. g) Quae omnia, & plura eiusdem generis, exemplis iam illustrare nimis pro instituti ratione fufum foret.

Desumimus potius ex tanto numero Psalmorum, dimidiam,

a) *conf. B. Aug. Herm. Franckii Programma III. continens harmonicum Mosis, Psalmorum & Prophetarum concertum de resurrectione Christi.* b) Pf. XIII, 1-5. c) Pf. XXVII, 13, 14. d) Pf. CXVI, 16-18. e) Pf. XXVIII, XXII, LXXIII, LXIX, CXVIII. f) Pf. XX, XXI. g) Pf. III, IV, IX, XXX, LVI,

maio remue dimidia libri partem constituentium, qui de Christo ex mortuis suscitato loquuntur, vnum tantummodo SEXTVM ET DECIMVM, qui speciminis loco esse possit, ex quo intelligamus, *suscitatum esse Christum secundum scripturas*. Is enim est, quo prae omnibus aliis, velut luculento veteris instrumenti testimonio, Petrus vti voluit, quum primo coram ingenti populi multitudine, qua consentiente, imo volente & urgente, Christus ante paucos dies morti datus erat, summum hoc DEI in illo suscitando opus publice adfereret, idque eo effectu, vt tria hominum millia supplices eius maiestatem agnoscerent. a) Praeterea hic Psalmus est ex eorum numero, qui diserte & *ναρὰ ἐν τῷ* de resurrectione Christi loquuntur, adeo, vt Petro id clarissime demonstrante, efata illius non ad auctorem siue alium quemquam adplicari possint, sed ad solum Christum quadrent; b) qui & ipse is est, cuius verba integra orationis series refert. Quae omnia si recte consideramus, facile intelligemus, Psalmum hunc ab ipso Spiritu S. non sine causis grauissimis, *insignem & auream quasi oden Davidis* appellari; quae & nobis, si eius non modo sensum, sed & vsum recte didicerimus, instar praestantissimi erit cimelii.

Vates enim diuinus nobis ipsum Christum repraesentat, initio quidem in statu exinanitionis, quem vocamus, orantem. Atque is ipse est, qui ex intimo animi adfectu, consideratis tot ac tantis periculis, quae ipsum vndiquaque circumdabant, *πρῶτα* huius faculi cum omni exercitu suo eum adorientem, in suspirium ardentissimum com. i. erumpit: *Serua me, Deus fortis*. DEum fortem appellat, quum se ipsum ea hora *quasi* infirmissimum sentiret, omneque in eo praesidium *periret*, quod ab ipso *non solus relinquentis* fr. c) Hinc & postea vltimis perpeffionibus proximus adfectum hunc in Psalmo nostro praedictum, diserte prodit, dicens: *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Nescio ipse, quid in tantis malis, quae prope absunt, eloquar petamue! Et statim addit: libera me ab hac hora*. d) Quid vero & hic & ibi velit, statim ipse declarat, dum pergit: e) *Pater, glorifica nomen tuum!* Qua autem via alia id fieri debebat, quam hac, vt ipsum, filium suum ex vin-

X 3

a) A. II, 25-41. b) comm. 29, 30. c) Joh. XIV, 32. e. VIII, 16, 29. d) Joh. XII, 27. e) comm. 28.

culis mortis ereptum, gloria ornaret, quo per filium rursus ipsius gloria amplificaretur? a) Vnde & hoc est ei responsum: *Et glorificauit nomen meum adhuc per miracula, a Te edita, & denuo glorificabo, b)* per Tui in vitam reductionem.

Petitioni vero tam emphaticae statim subiicit rationem: *Nam in Te confisus, recipio me ad Te;* quo patrem eo magis moueret, vt se, qui omni auxilio humano destitutus in tantis malis perfugium apud ipsum solum quaerat, potentissime protegat. Ita enim *fratribus per omnia similis factus, c)* DEo fretus, hac sua fiducia certum ab ipso auxilium impetrare voluit, quod suo iure poscere poterat.

Hinc per adfectus plenam apostrophen sermonem a DEO, patre suo, ad se ipsum conuertens, animam suam adloquitur, eamque, sentiens iam fiduciam exauditionis precum factarum, consolari & contra aduersa quaeuis erigere & confirmare incipit. *Dixisti, inquit, o anima mea, Iehouae* cet. Ita animo recollit, quae iam de causa sua antea cum patre sit colloquutus, & quibus argumentis, qua confidentia eam illi commendauerit; quo factum, tum animum pacatum senserit. *Quatuor* autem sunt momenta, quae patri alio tempore iam exposita, nunc ad consolationem inde capiendam, sibi ipsi recenset. Quae omnia si ea recte consideratione, Iohannis Capite XVII. descripta, continentur:

Primum, quod patri se dixisse meminit, hoc est: Dominus meus es; seu vt magis proprie verba Ebraica reddenda videntur: Dominus es Tu! Tu solus es iste, ad quem tota haec causa spectat. Ego quidem aliquando obseruata plurimorum perversitate, dixi: frustra laboro, inaniter & vane vires meas consumo. Verumtamen, cuius non sum immemor, officium meum penes Iehouam, seu Iehouae, est, & opus meum penes DEum meum, siue DEi mei. d) Quia descendi e coelo, vt exsequar non voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. e) Sicut & Tu dedisti filio tuo auctoritatem in omnem carnem, vt quotquot dedisti ei, de eis vitam aeternam. f) Hoc itaque sibi iam denuo repraesentans

a) Joh. XVII, 1. b) C. XII, 28. c) Ebr. II, 17. d) Es. XLIX, 4. e) Iob. VI, 38. f) Cap. XVII, 2.

tans, Iehouam patrem suum, esse Dominum, ad quem totum negotium suum referatur, animum in sperando felici eius exitu confirmat.

Secundum argumentum est, quod plena fiducia iam olim allegare potuerat, sui exaltationem ad gloriam ipsius patris amplificandam pertinere. Ita enim accipienda nobis videntur verba illa difficilia בל עלי, חובתי כל עלי, quibus fere omnes interpretes alium atque alium sensum tribuunt, nimirum, vt putemus, per interrogationem proponi rem, de qua, posito praecedentibus verbis immoto fundamento, nullum dubium supererat. a) *Dominus*, ait, es tu, cuius tota causa mea est, quam ex obedientia erga te suscepi. Nonne ergo *bonum meum*, quod ex mortuis suscitatus exspecto, ad dextram tuam exaltandus, *nonne id super te?* Nonne id ad gloriam tuam pertinet, quae tum demum amplificabitur per vniuersum terrarum orbem? Quare, *o Pater, uenit illa hora; glorifica filium tuum, vt & te filius tuus glorificet.* b) *Ego te glorificauit in terra, opus consummavi, quod dedisti mihi, vt facerem. Nunc igitur glorifica me, tu Pater, apud te met ipsum ea gloria, quam habui apud te, priusquam mundus esset.* c) Tum enim tua ipsius gloria & magis quidem per me prouehetur, nomenque tuum per vniuersum terrarum orbem celebrabitur.

Tertium

a) *Bonum* suum procul dubio adpellat id, quod se ex mortuis suscitatum; & ad dextram patris euectum exspectare, infra pluribus describit. Cum pronominis constructa praepositio עלי declarari videtur tum Ps. LXII, 8. vbi legitur ועל אלהים ישעי וכבודי, i. e. *A Deo*, vt NÖLDIUS in Concord. Partic. reddidit, vel *APVDD Eum*, vt B. LVTHERVS, est *salus & gloria mea*; tum magis Gen. XVI, 5. vbi ex opposito Sara dicit Abrahamo: וזמתי עלי, i. e. *iniuria*, quam ego per contentum ancillae patior, *super te*, in te ipsum recidit, ad te non minus, quam ad me pertinet. Vterque sensus in nostro Psalmo admitti possent, vt mens Christi sit, vel, se reconditam sibi *apud patrem* gloriam *ab ipso* exspectare, vel ad patrem non minus, quam ad se ipsum hoc a se exoptatum bonum pertinere. Posterius tamen omnino praefarendum nobis videtur. Et quia hic sensus in re ipsa fundamentum habet, negationi vero hic locus omnino non est, cum beatitate patris in se accessionem fieri non posse, non opus esset negare; gloria vero illius Christi in vitam reditu per partem hominibus salutem omnino quam maxime esset amplificanda, adeoque bonum hoc Christi ad ipsum prorsus spectaret: hinc particulam כל interrogatiue, vt quae contrarium adfirmet, capiendam putamus, vt aduerbium negandi כל ita saepe sumi constat.

b) Ioh. XVI, 1. c) comm. 4. 5.

Tertium est, ubi Christus patri exponit, quomodo per sui exaltationem patris gloria sit amplificanda, respectu inprimis eorum, qui in ipsius nomen credant, & in posterum credituri sint, & pro quibus proinde simul precibus intercedat. *Sanctis*, inquit comm. 3., *qui in terra sunt, & magnificis, in quibus est rota oblationis mea*; i. e. ratione eorum, qui per fidem in ipsum sancti rediti sint, & qui propterea *quod ipse sit in illis glorificatus*, a) magnifici & gloriosi sint, bonum suum, quod in seo ad vitam reditu expectet, etiam ad patrem pertinere; quum non modo ipse filius, sed & pater *eos iam amet, quia se, filium, amauerint, & crederint, se a DEO prodisse*; b) eorum autem causa maxime se omnia expetere, quum ipsi, licet *non ex mundo*, attamen adhuc *in mundo sint*, adeoque in eo versentur statu, in quo non sint *orbi relinquendi*, c) sed suo reditu iuuandi, & sua ac patris, *cuius aequae sui sint*, d) opera per vtriusque spiritum, se exaltato mittendum, in veritate seruandi, quo *spectent aliquando suam gloriam*, e) eaque videndo fruantur. Quae omnia eo rectius intelliguntur, quo accuratius cum dicto C. XVII. Iohannis comparatio Psalmi nostri instituetur.

Quartum denique, quod patri se proposuisse meminit, non aliud est, quam quod paucis commemorato loco complexus est, dicens, se iam *non pro mundo rogare*. f) Hinc comm. 4. *multipliant*, ait, *dolores, & in iudicia Tua grauissima merito incurrunt, qui alium sectantes, cum quasi sponsum dorant, me qui veni in nomine patris mei non, alios vero in suo nomine qui venient, recipientes*. g) *Quare non sum libaturus libamina ipsorum, ex sanguine, seu propter effusum sanguinem innocentem, inde a sanguine Abelis iusti*; h) *neque adsumturus nomina eorum in labiis meis*. Non expeto, vt sanguis meus, libaminis instar effusus, & intercessio mea ei inncta, a Te pro iis accipiat, qui alium sibi seruatorem quaerunt, & a me iustitiam, spiritum & vitam accipere nolunt. Quo tamen non negatur Christi meritum vniuersale, vel intercessio pro ipsis sceleratis, vel vtriusque efficacia. Dicit haec tantum filius DEI, vt ostendat, se nihil expetere quod repugnet iustitiae patris,

a) Ioh. XVII, 10. b) Cap. XVI, 27. c) Cap. XIV, 18. d) C. XVII, 16. e) comm. 24. f) comm. 9. g) Ioh. V, 43. h) Matth. XXIII, 35.

tris, adeoque nec orare, vt ii, qui alieno a se animo esse pergant, vt tales, sanguinis sui merito, vel intercessionis beneficio fruuntur, donec & ipsi resipiscant. Vnde nouum aliquod spei suae firmamentum capit, se quum nihil quod iniustum vel patri ingratum sit, petat, pro suis orantem, & illorum causa negotii sui laetum exitum efflagitantem, certo exauditum iri.

Sic igitur memoria eorum, quae iam antea in precibus suis cum patre transegerit, corroboratus Messias, quasi cum iubilo erumpit, celebrans, sermone ad circumstantes directo, beneficia, quae superata morte a patre certo accepturus sit. *Iehoua*, inquit comm. 5., *porrio praedii mei, siue partis meae, & poculi mei*. Ipse est bonum illud, quod expeto. Ille me non solum relinquet, nec destituet potenti suo auxilio. Et licet iam *cinerem tamquam panem comedam*, & *porciones meas cum fletu misceam*; a) quum *bibendus mihi sit amarissimus iste calix*, b) scio tamen, me rursus Iehoua patre meo fruiturum esse. Delicium eius totus replebor ac *sariabor*; c) quin ex manu ipsius *poculum omnis salutis accipiam*, & *nomen Iehouae praedicabo*. d) Fortassis etiam non male huc referas ipsa Christi verba, & de portione sua & de calice in ultimo epulo bis dicentis: *Dico vobis, me non amplius esurum ex eo, usque quo completum fuerit in regno DEi. Dico vobis, me non bibiturum ex fructu vitis, usque quo regnum DEi uenerit*. e) Quippe quo non tantum instantes perpeffiones indicat, sed etiam, vt hic, non obscure significat sequituram resurrectionem, qua facta ipse rursus, alio licet modo, *se ipsum molestia exemptum videns, sariandus sit* f) portione sua, nec non tamquam *alter Noachus* g) prodiens ex arca sepulcri sui, *bibiturus uinum nouum*, coelestis laetitiae & gaudii, coram Domino.

Sed ecce, quo tenerrimo ferebatur in patrem amore, ad illum ipsum denuo conuersus, cum in secunda persona adloquitur, & nouum illius beneficium grata mente profitetur, dicens: *Tu sustentas sortem meam*. Sortis suae nomine non alios quam *santos ac magnificos illos*, pro quibus comm. 2. orauerat, intelligit.

a) Pf. CII, 10. b) Matth. XX, 22. c) Pf. XVII, 15. d) Pf. CXVI, 13. e) Luc. XXII, 16, 17. f) Ec. LIII, 11. g) Gen. IX, 20, 21.

git. Hos ardentissimis precibus patri commendauerat, *Pater sancte, inquit, serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, vt sint vnum, prout nos. Non rogo, vt tollas eos e mundo, sed vt eos ab impio illo conserues. Pater, quos dedisti mihi, velim, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, cet. a)* Iam plenus fiducia, gratias agit DEo suo pro exauditione harum precum: *Tu sustentas, inquit, tu conseruas sortem meam. Nemo oues meas ex manu tua eripiet.* b) Gloriatu quidem sunt illi mei hostes, dicentes: *Iste est haeres, venite, interimamus eum, vt nostra fiat haereditas.* c) Sed minime ita fiet. Tenebo ipse te seruante meam haereditatem.

A patre rursus quasi ad adstantes directo vultu, plenus gaudio exultat, praedicans, non tantum certam, sed & pulcherrimam haereditatem adeundam esse ex mortuis suscitato sibi. *Funiculi*, inquit comm. 6., in metiendo adhibiti, *acciderunt mihi in locis amenissimis*, ita vt electissimi quique ex populo DEI tanquam ager fertilissimus, & *vineae nobilissimis vitibus confita*, d) in meam partem cessuri sint; *etiam praeterea ex ipsis gentibus, quas mihi pater petenti dedit*, e) *possessio* est elegantissima, & *ad fines terrarum*, extensa, quae obtigit mihi.

Hinc nouo quasi grati animi adfectu motus, comm. 7. totus in laudes patris fertur. *Benedicam* igitur, inquit, *Iebouae*, qui & cepit & *mibi dedit consilium* adeo salubre, de salute hominum mea morte reparanda, & adeunda per hanc viam gloria mea. Propterea *etiam*, pergit, non interdiu tantum, sed & *per noctes erudiunt*, seu instigant, *me renes mei*; intimoque desiderio feror ad illam *patris voluntatem*, de salute hominum procuranda *meo corporis sacrificio* exsequendam. f) *Baptismo* quidem oportet me *baptizari*, & *profundissimis aquis* quasi *submergi*. g) Sed ah! *quomodo constringor* & patris ac generis humani, a me redimendi, amore & desiderio pulcherrimae haereditatis, ex redemptis hominibus constantis, tum adeundae, *vsque quo hoc perficiam*. h)

Sequuntur iam illa ipsa verba, quibus praedictam esse in scripturis Christi resurrectionem, Petrus luculenter probat, ea, quam Spiritus

a) Ioh. XVII, 11. 15. 24. b) Ioh. X, 29. c) Luc. XX, 14. d) Es. V, 1. 6. e) Pf. II, 8. f) Pf. XL, 2. Ebr. X, 10. g) Pf. LXXIX, 2. 3. h) Luc. XII, 50.

Spiritu sancto coelitus demisso, primam habuit oratione; quae hanc ob causam attentius sunt consideranda. a)

Primo autem loco exponit, qui fiat, quod tam alacri animo tantaque cum cupiditate horrendo prorsus supplicio obuiam eat, dicens: *Surgite, abeamus hinc!* b) *Propono*, inquit. com. 8. plenus amore & fiducia, *Iehouam* patrem meum, *iugiter*, considerans quam verax & fidus sit in implendis omnibus suis promissis. Atque ideo dico, *quia ille a dextera mea est*, tamquam acerrimus defensor meus; *ideo nec a proposito mouebor*, nec ab hostibus unquam vincar. Eodem modo *Esaia* interprete *Messias* loquitur: *Dominus Iehoua*, inquit, *aperit mihi aurem, & ego non rebello; retrosum non auerto me. Corpus meum expono percussoribus, & malas meas depilantibus, faciem meam non abscondo a contumeliis & spuro.* Quare vero? *Quia Dominus Iehoua, pergit, auxiliatur mihi, ideo non adficio ignominia. Idcirco compono faciem meam tamquam saxum adamantinum, quia noui, fore, ut non pudeam. Propinquus est, qui iustificat me, quis conuendat mecum? cet. c)*

Idcirco, prae gaudio quasi triumphans com. 9. addit, *laetatur animus meus, & exsultat gloria mea*, seu spiritus meus, ob certam victoriam & prosperum causae meae exitum. Neque vero anima mea solum gaudet, sed *etiam caro mea habitabit secure*, dum, quod ad ipsum corpus meum attinet, certus sum, illi nihil mali in statu mortis, neque ab hostibus externis, neque ab interna corruptione metuendum esse. Quid? quod breui tempore exacto, dicturus sum laeto animo: *Ego cubui & dormiui, expergefeci me, quia Iehoua sustentat me. d)*

Nec eo contentus fuit, quod haec sibi & aliis exposuerit, sed ab adstantibus denuo com. 10. ad ipsum patrem, quasi prouocans ad illius suffragium, se conuertit, rationem reddens, cur nec animae, nec corpori, obscuram vallem umbrae mortis transiens, metuat. Nonne laeterur, inquit, anima mea? Nonne *cum spe* e) commoretur caro mea in sepulcro? *Quoniam* etsi anima cum vita mihi ponenda omnino, quid? quod licet cum in agone horti tum in

) (2

cruce

a) Act. II, 25. 31. b) Ioh. XIV, 31. c) Ef. I, 5. 8. d) Ps. III, 6. e) Act. II, 26.

et tunc ad orcum vsque deducenda fit, vbi me a te ad tempus derelictum sensero, tu tamen nec animam derelicturus es in sepulcro, mortuorum statu, ipsoque orco, neque expositurus, seu permisurus eum, quem benignitate prosequeris, vt corpore putrefacto videat corruptionem, eiusque vel initia experiatur.

Quin potius, vltimo loco patri loquens com. 11., addit, *notam facis mihi ipsa experientia, tu, cui sunt exitus contra ipsam mortem, a) semitam vitae*, qua ad vitam numquam cum morte commutandam per resurrectionem meam ingrediar; tu addes abundantiam & *satietaem gaudiorum* coelestium coram facie tua, quam expergefactus in *iusuria* videbo. b) Denique *amoenissima Tua*, quae hic toties desideravi, *ad dexteram tuam* euecto mihi, qui *ex mortuis suscitatus non iterum moriar*, c) *in perpetuum concedes*. Et sic me glorificabis *gloria illa, quam habui apud te, antequam mundus esset*. d)

Tam clare & aperte ipse Christus in scripturis, interprete Dauide, futuram sui ex mortuis resurrectionem & exaltationem praedixit, vt quilibet, qui euentum cum eo conferat, non possit non mirari, ea tot saeculis ante quam fierent, tam perspicue fuisse exposita. Vnde iure suo Petrus, *Viri fratres*, inquit, *licet libere dicere apud vos de Patriarcha Dauide, eum & obiisse, & sepulcrum esse, & monumentum eius esse apud nos ad hunc vsque diem; ad quem itaque ista verba adplicari nequeunt. Propbeta igitur quum esset, & sciret, DEum iureiurando sibi iurasse, fore, vt ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum illum suscitaret, quem collocaret super eius throno; praescius, in persona ipsius Messiae loquutus est de resurrectione Christi, non derelictam esse apud inferos animam eius, neque carnem eius sensisse corruptionem. Hunc IESUM itaque, secundum scripturarum testimonium, suscitauit DEVS, cuius rei omnes nos sumus testes*. e)

Quorsum vero haec omnia? Ansam Vobis, Ciues, praebemus, vt ipsi his diebus studiose sacras paginas, Psalmorumque maxime librum, peruolutetis, atque sic magis magisque edoceamini,

a) Ps. LXVIII, 21. b) Ps. XVII, 15. c) Rom. VI, 9. d) Ioh. XVII, 5. e) Act. II, 29 - 32.

mini, quam & copiose & luculenter eae de resurrectione Christi testimonium perhibeant, & quanta simul bona ex illa in nos redundatura praedicent; quo ita & quilibet Vestrum pulcherrimorum eius fructuum particeps per fidem in Christum reddatur.

Atque ut clarius perspiciatis, quae via hic Vobis sit ingredienda, aegedum paucis eam demonstrabimus.

Capite, quaesumus, exempli loco Vobis propositum Psalmum hunc sextum decimum; perpendite verba in eo per spiritum suum loquentis Messiae; conferte ea studiose cum iis, quae idem in diebus carnis suae, ultimis potissimum, protulit; discurrete hinc in spatiosissimum Psalmorum reliquorum campum, & considerate, an non in plurimis idem prorsus dicendi modus de eadem re sermonem esse, aperte doceat. Ita sane recte adprehensio vno hoc manipulo, in largissimam messem testimoniorum de resurrectione Christi immittere, & facile etiam ab his odibus Davidicis ad Mosis & reliquorum vatum scripta transibitis, illisque viam monstrantibus, ibi quoque non minorem numerum testimoniorum de resurrectione Christi deprehendetis; quae iam longius persequi, instituti ratio non permittit.

Neque vero est, quod existimetis, in eo Vos iam satis solemnitati horum dierum fecisse, si vel omnia, quae de Christo suscitando in scripturis vtriusque instrumenti continentur, oracula studiosissime acquisiveritis. In rem ipsam potius paullo altius introspicendum est. Porro igitur omni studio ac attentione animi considerate hunc nostrum Psalmum, non aliter, ac si ipsum Christum has suas preces coram patre effundentem, & subinde Vos etiam adloquentem, Vestris auribus audiretis. Perpendite non modo verba, sed ipsum etiam adfectum orantis, dum modo in summis angustiis constitutus ad patrem confugiens anxie clamat, ut ab eo feruetur, & tantis periculis eximatur; modo ad se ipsum conuersus, memoria eorum, quae iam cum patre egerit, sese erigit; modo spe potentissimi auxilii a patre expectandi, & hereditatis certae ac pulcherrimae prae gaudio quasi exultat; modo denique futuram sui in vitam reductionem & gloriam, quasi praesentem sibi ob oculos ponit, ac proinde iam sub ingressum pugnae,

gnae, laetitia minime vana, victoriam canit. Quae omnia penitius expensa, interiora animi Christi sub ipsum tempus, quo mortem subiens ad resurrectionem festinauit, non modo ex hoc, sed & plurimis aliis Psalmis cognoscenda, egregie pandunt; vnde profecto anima pia & Christi amans non potest non & delectationem summam & consolationem eximiam capere.

Inprimis vero in considerando hoc Christi adfectu praeterendum non est, quanto amore simul suorum causam apud patrem agat; quomodo propter illos maxime suum bonum suamque gloriam expetat; quomodo iam in antecessum de iis, tamquam sorte ac haereditate sua, laetetur; quanto hinc desiderio vrgatur, ad consilium patris de ipsorum salute suo sanguine procuranda, promptissime exsequendum; quomodo denique maxime propterea de resurrectione sua gaudeat, vt hac ad suos redeat, eosque secum ad pulcherrimas istas sedes domus paternae introducat. Nam *in domo patris mei*, inquit, *habitationes multae sunt. Proficiscor paraturus vobis locum, & quum profectus fuero, & parauero vobis locum, rursus veniam & adsumam vos ad me ipsum, vt vbi ero ego, & vos sitis.* a) Id quod si recte obseruauerimus, hinc demum perspiciemus, Christi vt mortem ita etiam resurrectionem ad nos maxime pertinere, quippe *qui traditus est morti propter offensas nostras, & suscitatus ad nostri iustificationem.* b) Vnde, *si, quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati seruabimur per vitam eius*, ad gloriam aeternam adeundam. c)

Eo ipso vero, o Nostri, moneamini quam maxime, ne quisquam Vestrum pergat esse inter eos, *qui alium*, quam hunc, qui sanguine suo sponfam sibi ex genere humano acquirere non dedignatus est, *dorant*, eoque sibi ipsis *multiplicant dolores & cruciatu*; quos, nisi respuerint, maximo suo malo in aeternum sentient intolerabiles. *Ne*, quaesumus, quispiam peccata sua magis quam Christum amans, *abneget Dominum, qui ipsum tanto pretio mercatus est, & accersat sibi celere perniciem.* d) Diferte enim ipse Dominus noster testatur, neque sanguinis sui merito,

a) Ioh. XIV, 2. 3. b) Rom. IV, 25. c) Rom. V, 10. d) 2 Pet. II, 1.

rito, neque intercessionis virtute eos frui posse, qui se ab ipso auertant, & alios sectentur; quum id & patris iustitiae repugnet, nec ipse, qui nihil unquam iniusti ab eo petiit, pro iis orare velit. Nolint itaque illi, quibus vel villo modo salus sua curae est, his quoque diebus festis pergere, in ignominiam Christi & aliorum offensionem, in sectandis voluptatibus suis; nolint comestationibus & comotationibus, otio, friuolisque colloquiis se dare; nolint sacra publica vel proteruo gestu profanare, vel frigide tractare; abesse denique iubeant omne id, quod christiano homine indignum est. Suus cum quemlibet conuincat animus, haec esse fugienda, *ne rursus crucifigant sibi filium DEI, & ignominiae exponant* a) eum, qui sedet ad dexteram DEI. Nos insuper unumquemque oramus & obtestamur, vt nuncium remittens omni peccato voluntario, Christo se totum addicat; quo ipsum per fidem, Euangelio in animo illus accensam, purum ac sanctum reddere, & de ipso quoque tamquam haereditatis suae parte, hostibus erepta, laetari ac exultare possit. Quae omnia, dum aedes sacrae hoc tempore sermonibus de resurrectione Christi resonant, vberius Vobis explicanda, non modo attente audiatis, sed & ad animum ita reuocetis, vt ipsi ex morte spirituali excitati, cum Christo suscitato gaudere ac triumphum sacrum agere possitis.

Vos autem, qui vel cum dolore iam sentitis, in quanto sitis malo, quod ad alios festinantes, *scaturiginem aquarum viuarum ac perennium dereliquistis*, b) & in eo iam estis, vt ad ipsum redeatis; vel qui postea quam per fidem ad ipsum accessistis, nihilominus arctius ipsi fociari desideratis: intuemini, quaesumus, piissimum Seruatoris Vestri erga vos adfectum, quem hac sua ad patrem oratione expressit. Vos estis illi *sancti* illus, pro quibus se ipsum sanctam ac puram hostiam patri obtulit, vt & Vos mundos & sanctos redderet per veram fidem, suoque sanguine & spiritu. Vos estis *magnifici* illi, in quibus ipsius gloria relucet, & quibus sua iustitia ornatis omni modo delectatur. Vos, sanguine suo ablutos ab omni peccato Patri suo sistit, orans, vt omne


bo-

a) Ebr. VI, 6. b) Ier. II, 13.

bonum, quod ipsi ille promisit, in Vestrum vsum cedat, ad gloriam ipsius patris amplificandam. Vos estis *haereditas* illa, quam ita expetiit, vt illius causa mortem subire dirissimam non dubitaret. Vos estis, quos socios sibi in gloria a Patre dudum efflagitauit. Agite igitur, misso omni timore, accedite ad illum Vestri tam amantem sponsum, & intimo animi adfectu illum complectimini: quid? quod spiritu fidei ei ita coniungimini, *vt vnus cum eo spiritus sitis,* a) & sic omnes illos Christi adfectus, hac ode declaratos, quasi viuos sentiatis; & quemadmodum Christus Vestra causa & doluit & lactatus est, ita Vos rursus ipsius causa & doleatis de peccatis Vestris, & laetemini de salute per ipsius mortem ac resurrectionem parta, laetemini quoque cum ipso de omnibus bonis & vniuersa haereditate, quam pater ei concessit, quippe qui eius cohaeredes testamento aeterno ac immobili instituti estis.

Atque sic tandem pergite tamquam Christo capiti artissime vnita membra, hanc ipsius oden in Vestrum vsum vterius transferre, & ipsius verba Vestra facere, inprimis eo tempore, quo *in communionem mortis eius deducti fueritis, vt ita obuiam cum eo veniatis resurrectioni mortuorum,* b) & spe illius omnes afflictiones *longissime supereris, per ipsum, qui vos tantopere amauit;* c) lacti cum Apostolo exclamantes: *Quoniam eundem habemus cum Christo spiritum fidei, secundum illud quod scriptum est:* d) *credidi, & id eo loquutus sum, nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur, scientes fore, vt qui suscitauit Dominum Iesum, nos quoque per Iesum suscitaret. Propterea non segnescimus, sed etiam si externus homo noster corrumpitur, internus tamen renouatur in dies. Illico enim praeteriens leuitas afflictionis nostrae, excellenter excellentis gloriae pondus aeternum conficit nobis, dum non spectamus ea, quae cernuntur, sed ea, quae non cernuntur: Nam quae cernuntur, temporaria sunt, at quae non cernuntur, qualis est nostra cum Christo haereditas in amoenissimis locis ad dexteram DEI, aeterna.* e) P. P. in Acad. Frid. Iphis Feriis Paschali-
bus, Anno c1o1cccxxix.

a) 1 Cor. VI, 17. b) Phil. III, 11; c) Rom. VIII, 37. d) Pf. CXVI, 10. e) 2 Cor. IV, 13-18.





Ja 30/11

St

Witt

10007





B.I.G.

Farbkarte #13

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR,

FRIDERICVS HOFF-
MANNVS,

COMES PALATINVS CAESAREVS, CONSILIARIVS
REGIVS, ET PROFESSOR ORDINIS MEDI-
CORVM SENIOR,

VNA CVM

CANCELLARIO AC PROFESSORIBVS
RELIQVIS,

CIVIBVS ACADEMICIS

DIGNAM FESTI

RESVRRECTIONIS CHRISTI
CELEBRATIONEM,

ET IN EA

PIAM

PSALMI SEXTI DECIMI
MEDITATIONEM
HVMANISSIME COMMENDAT.

HALAE MAGDEB.

TYPIS IOH. CHRISTIANI HENDELII ACAD. TYPOGR.